

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae VI.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

Attico rogante, suum studium in accusationis, quae parabatur, periculo deferret: quam partem non ante aggressus est, quam ei, commemoratis officiis suis, ingrati animi vitium exprobrauit.

Ipsi Pomponio] Qui Ciceronis animum, nonnihil ab Antonio alienatum, reconciliari cupiebat.

Officia desiderem] Infra subiungit, nullam mihi abs te relatum esse gratiam, tu es optimus testis. Et in epistola sequenti: eius in me officia omnes desiderant.

A me in te profecta] Defenderat iam cum Cicero in senatu, cum de reuocando ex Macedonia ageretur: quod ex epistola sequenti cognoscitur.

Falso in me solere conferri] Cum dicas, comperisse te, me tibi amicum non fuisse: quod falso a te dicitur.

Delata] De querelis tuis. Libentius enim ad querelas Antonii refero, quam ad id, quod legitur lib. I. ad Attic. epist. 12. de parte pecuniarum, quae contra leges ab Antonio in prouincia cogerentur, Ciceroni danda.

Constantia] Etsi non deberem, cum te non esse in me gratum audirem; feci tamen, ne inconstans in amicitia viderer. epist. 8. Quae

a me suscepta defensio est, te absente, dignitatis tuae: in ea iam ego, non solum amicitiae nostrae, sed etiam constantiae meae causa, permancho.

Reliqua] Fore putabat, ut de repetundis accusaretur. quod ex lib. I. ad Attic. epist. 12. satis constat, sit enim in ea mentio et de coactis ab Antonio pecuniis, et de praetore ad populum acturo, quamquam non nisi triennio post, Caesare et Bibulo coss. accusatus est, ut Suetonius et oratio pro domo c. 16. demonstrat. quo tempore, Cicerone defendente, damnatum esse, ex oratione pro Coelio c. 31. et ex Dione cognoscitur, damnatum autem de maiestate, accusante Coelio, et Dio et proxime nominata oratio videtur significare: de repetundis etiam ostendit locus ille lib. I. ad Attic. epist. 12. Antonium in cegendis pecuniis delitare, partem mihi quaeri. Quod altero confirmatur argumento, quia damnatum accusante Q. Maximo plane demonstrat oratio in Vatinius c. 11. ut de maiestate a Coelio, de repetundis a Maximo accusatus sit. nam et duos quacsitores, Q. Claudium et Cn. Lentulum, apud quos reus factus est, in eadem oratione video nominari.

EPISTOLAE VI.

ARGVMENTVM.

Exponit suam diligentiam, in eo adhibitam, ne Sextio, qui cum C. Antonio proconsule quaestor in Macedoniam inerat, succederetur. addit de domo a se empta, non sine ioco: de Sextii, quae aedificabatur, aedibus: de C. Antonio a se in senatu defenso. M. Messalla M. Piso e coss.

EXPLANATIO.

P. *Sextio*] Quaestor Antonio fuit et consuli Romae, et proconsuli in Macedonia. quod ex oratione pro ipso c. 3. patet.

Proquaestori ERN. *Procos.*] Sic omnes antiqui libri, eadem ratione, qua *proconsul* Sallustius in lib. 2. epist. 17. inscriptione nominatur.

Frugi] Ad quod genus hominum prudentia spectare videtur. itaque subiunxit, *non satis credidi homini prudenti.*

Q. *Fufium, tribunum plebis*] Hic locus epistolam Messalla et Pisonis cons. scriptam esse significat. nam hoc anno tribunatum a Fusio gestum ait Dio lib. 38. idque confirmat Asconius, qui, quo tempore Clodius de incestu accusatus est, huius Fusii opera factum tradit, re a senatu asperius decerneretur. de incestu autem Clodii actum Pisonis et Messalla cons. ex epist. ad Attic. lib. 1. in quibus etiam Fusius tribunus plebis nominatur, facile intelligitur. Idem, interfecto Clodio, acerrimus Milonis fuit adversarius: et a Cicerone notatur in orat. pro Milone c. 6. cum ait: *Diuisa sententia est, postulante nescio quo. nihil enim necesse est, omnium me flagitia proferre.* Bien-
nio post, aedilitate omissa, praeturae gessit Caesare et Bibulo cons. legemque de suffragiis tulit. testis Dio. consul fuit cum P. Vatinius, anno DCCV. ut facti docent Capitolini. Socrus fuit Pansae consulis, qui Mutinensi proelio, partium reipublicae contra M. Antonium defensor, interfectus est. Defendit Antonium in senatu, a Cicerone

oppugnatum: ut ex Philippicis et epistolis ad Brutum constat. Caleno cognomen fuit.

Scripseras] Cupere te, ut tibi succederetur.

De Crasso] A Crasso. Notum loquendi genus. Hoc et in ea declaratione, quae Sallustii nomine inscribitur, in Ciceronem confertur c. 2. his verbis: *Domum ipsam tuam vi, et rapinis, fonestam tibi, ac tuis, comparasti: videlicet, ut nos commonefacias, quam conuersa res sit publica, cum in ea domo habitares, homo flagitiosissime, quae P. Crassi, viri clarissimi, fuit.*

XXXV] Tricies quinquies: ut subaudiatur, *centenis millibus nummum*: id est, centum quinque scutatorum millibus. accepit autem mutua a P. Sulla, qui tum reus erat, H. S. vicies, id est, sexaginta scutatorum millia, ut ait Gellius lib. 12. c. 12. Haec domus primum fuerat M. Liuii Drusi, eius qui tribunus plebis initio belli Italici a nescio quo est interfectus. deinde possedit eam Crassus hic, a Cicerone nominatus; post Crassum, Cicero; post Ciceronem, Censorinus; post Censorinum, Statilius Sisenia. quod Velleius lib. 2. c. 14. memoriae tradidit.

Vt cupiam coniurare] Locatur: quia Catilina eiusque socii, cum aces alienum feneratoribus soluere non possent, in patriam coniurarunt, Sallustius bell. Cat. c. 21. 22.

Excludunt] Coniurationis participes.

Ex obsidione] Maxime enim contra feneratores et locupletes facta coniuratio est. quod spectat illud

lib. 1.

lib. 1. ad Q. Fr. epist. 1. *Publicani, quod ita negotiantur, ut locupletes sint, nostri consulatus beneficio incolumes se fortunas habere arbitrantur.* Et lib. 2. de Offic. c. 24. *Numquam vehementius actum est, quam me consule, ne solueretur. armis et castris tentata res est ab omni genere hominum et ordine.*

Exemerit] Oppressa enim concuratione, feneratores impendenti periculo liberati.

Omnino semissibus magna copia est] Et Mediceus liber et reliqui habent, *omni*, non *omnino*, vno excepto, qui Thomae Leonici fuit, doctissimi hominis, in quo est, *omnino*. *Omni*, pro *cuiuslibet*, duriuscule positum videtur. nam illud lib. 7. ad Attic. epist. 3. *Hic omnia facere omnis, ne armis discernatur*: potest esse quarto casu, numero multitudinis. quare *omnino*, malui, consensu tamen antiquorum exemplarium indicato. Deesse, inquit, nummi non possunt, si quis vsuras semisses velit pendere, id est, fenos annuos pro centenis. haec autem civilis et moderata fuit vsura: grauissima vero omnium, quae legibus concedebatur, ea fuit, cum duodeni annui pro centenis: quae *centesima* vocabatur. in quo dissentire cogor a doctis hominibus, qui affirmant, vnciarium fenus leuissimum fuisse: quod, ut arbitror, grauissimum fuit, idemque cum centesima. vsurarum enim quaedam nomina menstruam solutionem, quaedam annuam significabant, menstruam, ut centesima, vnciaria, semunciaria: annuam, ut semis, triens, bes. nam, si centesima vel vnciaria, vel semiunciaria, semel in anno soluerentur: quis

tantulo quaestu pecuniam suam collocaisset? rursus, si bes, vel semis, vel etiam triens, vsura menstrua esset: quis, tanta rei familiaris iactura, fenebrem pecuniam accipere voluisset? Opinor igitur vnciarium fenus et centesimam idem esse: ut ratio habeatur menstruae solutionis, non annuae: semunciarium autem idem cum semissibus: ut in semissibus annua solutio spectetur, in semunciario fenore, menstrua. propterea Tacitus lib. 6. Annal. c. 16. ait, XII. tabulis sancitum esse, ne quis vnciario fenore amplius exerceret; cum antea ex libidine locupletum agitaretur: deinde rogatione tribunicia vsuram ad semuncias redactam. Nam, si duodecim tabulae annum fenus vnciarium significassent; et si tribuni plebis postea de semunciario item annuo rogationem tulissent: graues admodum postea semisses vsurae visae essent, quas tamen civiles ac modicas fuisse, tum Plinius lib. 14. c. 4. tum alii satis ostendunt, grauissima vero centesima, quae tamen legibus concedebatur: supra vero non licebat: ideoque cum trientem, semis, bessem, nominari videmus, non de menstrua, sicut in vnciario fenore, sed de annua dictum vsura existimare debemus: alioqui non fuisset grauissima omnium centesima.

Ego autem meis rebus gestis] Mea, inquit, praecipua causa est: cum ob res a me gestas, id est, ob feneratores, quibus exitium Catilina moliebatur, *bonum nomen*, id est, bonae fidei debitor existimer. Debitorum nomina in expensi codicem referebantur. inde factum, ut *nomen* acciperetur et pro debita pecunia, vnde *nomina exigere*,
lib. 1.